

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0305

0303

0309

0299

0314

0294

0354

0254

0404

0204

0804

Ende

Anfang

292

et vitreas fenestras destruxerunt sculptasque lapideas imagines
avulserunt de parietibus. Demum in turrim et campanile
ascenderunt et campanas malleis confregerunt, et in vituperium
Christianorum sic confractas tenuerunt multo tempore,
sicut vidit dominus Antoninus, ut habetur in Chronico Part.
II. Tit. 17. c. 9. §. 18. Ego vero fragmenta campanarum non
vidi, sed trabes et juga, in quibus campanae suspensae fuerant.
Noluit autem Saladinus, ut cum tumultu et violentia
ecclesia dominici sepulchri subverteretur, propter pretiosas
marmoreas columnas et politas tabulaturas, quas tollere integras
pacificato negotio deliberaverat, sicque successive templum
illud solvere cogitabant.

Denique ecclesiis Christianorum profanatis accesserunt
ad templum, quod nominant Salomonis, et omnia Christianorum
altaria ejecerunt et imagines abraserunt, et eo purgato
vel potius profanato pavimentum et parietes aqua rosacea
laverunt et multis perfuderunt odoribus, miram enim vene-
rationem et templo illo et loco exhibent. His lotionibus
peractis, quae sunt eorum consecrationes, intravit Saladinus
cum suis principibus et ritu mahometico victimas obtulit.

Porro Suriani et caeterarum sectarum homines, scilicet
Maronitae, Jacobitae, Georgiani, Armeniani, Nestoriani, Abessini
sive Indiani, et caeteri orientales Christiani, schismatici et
haeretici, ad Saladinum accesserunt, et juramenta ei praestan-
tes et tributa se locari in loco Latinorum petierunt, quod
libens fecit, ut civitas haberet habitatores. Insuper ecclesiam
dominici sepulchri, quam audierant in proximo destruendam,
auro et argento copiosissimo Saladino dato redemerunt, ne
destrueretur. Accepto ergo auro Christianis orientalibus dimisit
eam sub hac dupli conditione, primo, ut nullus occidentalis
Christianus intromitteretur absque solutione tributi statuti, quod
sibi ponitandum ordinavit et ad hoc exactores posuit; secun-
do, ut nulla amplius campana in turri suspenderetur, sed cum
tabulis ligneis signarent ad Officia. Sic ergo ab illo die usque
ad praesens non est campana audita in Jerusalem jam per
trecentos annos.

Sic ergo capta Jerosolyma posito in eo praesidio Saladi-
nus cum universo suo exercitu ad obsidendum denuo reddit

